

T33

Odi II, 19  
**Bacco e la poesia**

**Metro:**  
strofe alcaica

- 1 Bacchum in remotis carmina rupibus  
vidi docentem, credite posteri,  
Nymphasque discentis et auris  
capripedum Satyrorum acutas.
- 5 Euhoe, recenti mens trepidat metu  
plenoque Bacchi pectore turbidum  
laetatur, euhoe, parce Liber,  
parce gravi metuende thyrsos.
- 10 Fas pervicacis est mihi Thyiadas  
vini que fontem lactis et uberes  
cantare rivos atque truncis  
lapsa cavis iterare mella,  
fas et beatæ coniugis additum  
stellis honorem tectaque Penthei  
15 disiecta non leni ruina  
Thracis et exitium Lycurgi.
- Tu flectis amnis, tu mare barbarum,  
tu separatis uvidus in iugis  
nodo coerces viperino  
20 Bistonidum sine fraude crinis.
- Tu, cum parentis regna per arduum  
cohors gigantum scanderet inopia,  
Rhoetum retorsisti leonis  
unguibus horribilique mala;
- 25 quamquam choreis aptior et iocis  
ludoque dictus non sat idoneus  
pugnae ferebaris; sed idem  
pacis eras mediusque belli.
- 30 Te vidit insons Cerberus aureo  
cornu decorum leniter atterens  
caudam et recedentis trilingui  
ore pedes tetigitque crura.